



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Alia Vallisoleti superanda, n. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1588. tum: Qui enim credi posset eos qui Patrios lares & domestica commoda tam præclaro & excelso animo tantis emensis itineribus reliquissent, in aliena iam penè in portu inuolaturus? Resistente rursus Commentariensi, mittit Senatus certum hominem qui supellectilem eius omnem argenteam diuenderet ni promptè aurum redderet. Tum denique prolata pecunia eadem est quam *Blac-fannus* repetierat. Sequenti die cum se pararent in viam dare vir grauis à Senatu iussus ducit abeuntes in forum; adstantem populum monet nullam criminis suspicionem istis adhæsisse; rectæ fidei causâ exules, studijs vt darent operam, hâc transisse; reditum meditari in patriam, animi celsitudine omni Hæreticorum crudelitati superiore: Abstinerent proinde conuitijs; venerentur potius eorum in fide constantiam, vitæ probitatem, in aduersis fortitudinem. Tum deductis ad portam vrbis, monstrat quâ iter capiendum esset Vallisoletum quò tendebant, & beneuolè salutatis gratulatur.

Alia vallisoleti superanda,

III. Vallisoleti Patrum Hispanorum consilio conductis in ædibus habitauerunt aliquamdiu dum monitus *Personius* accuteret. Hic additis primùm quatuor ex Anglia, tum decem alijs eodem anno Duaco aduentantibus, formam Collegij occupat in platea extra muros ciuitatis, non procul Sancto Ambrosio (quod Collegio Patrum nomen est) quò exercitationum scholasticarum causa bis quotidie eundem erat. Neque tamen sine aduersariis res tantâ inchoata est. Iam ciuitas Iuuenibus ex Hybernia eadem de causâ profugis aperuerat aditum & habitationem; grauati itaque metuebat nouis hospiti- bus, atque apud Regem agebat vt hi vel iungerentur Hybernis, vel prorsus excluderentur. Re ad Abbatem Sancti Benedicti ab Rege delata (nondum enim vrbs illa Episcopo ornabatur) Is rescribit videri sibi Anglos retinendos fouendosque, frugi videlicet Iuuenes, & fini quem prætendebant accommodos: Coniunctionem relinquebat in medio; Quæ tamen aliquantisper sustinenda fuit. At *Personius* separationem rationibus Seminarij existimans aptiorem, cessit Hybernis omnem eum locum quem Ciuitas donauerat, & quem dixi fundum Nobilium virorum beneficentiâ coëmit. Rector datus est *Rodericus de Cabredo*, cum alio qui esset à Confessionibus, & vno ad temporalia adiutore. Præcipui Mæcenates his in initijs fuere *Franciscus de Reynoso*, Decanus Ecclesiæ Palentina, & *Alphonsus de Quiniones* ex familia Comitum de Luna, qui se domi recluserat vt vni Deo vacaret & salutis sempiternæ. Hic cum in multos esset beneficentissimus, tum cum audisset Catholicos Iuuenes Anglos patriâ exules per fugium ea in vrbe quæsisse quò decursis studiis ad fidem restituendam contemptis periculis reuerterentur, sepuluit in menses singulos quindecim ducatos in singula capita distribuendos; Quadringentos alios donauit ad fundi coëmendi impensam, & centum ad vestem communiter viuentibus congruam comparandam. *Reynoso* reliqua supellectili ornauit domum, & in singulos menses dum viueret decreuit centum ducatos. His res vtunque sustentata est dum mille & sexcenti aurei quos Rex annuos attribuerat ex redditibus Legionensibus colligi potuerunt. Tum Capitulum

Præcipui Mæcenates